



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de  
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

**Bosco, Jean a**

**Antverpiae, 1686**

Præfatio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)



## P R Æ F A T I O



Roposuerant olim Corinthii beato Paulo Apostolo varia dubia, postulantes super iis Pauli resolutionem. Secundum dubium erat de comestione idolothytorum. Paulus cap. 8. epist. 1. ad Cor. resolvit; comestionem idolothytorum ex se quidem esse licitam; sed tamen cavendam, ubi est scandalum infirmorum. Utque efficacius ostendat, quam sint cavenda scandala, concludit cap. 8. dicens: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Et pergit c. 9. suo exemplo docere, quod omnibus modis velit exclusa scandala, dicens: se ob ædificationem & salutem proximi sui etiam abstinuisse à stipendio sustentationis, sibi tamen euangelizanti debito; ac potius labore manuum victum sibi comparasse, ne scandalum daret. Et ad eandem proximi ædificationem incitans, dicit v. 24. vitam nostram esse stadium & agonem virtutis, in quo semper ad meliora contendendum, donec ad bravium beatitudinis perpetuæ perveniamus. *Nescitis, inquit, quòd illi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* quasi dicat: Ideo sine sumptu & stipendio evangelizo, ideo omnibus omnia fio, ideo laboro, ideo scandala caveo & cavenda moneo; quia in stadio curro, quia ad bravium concerto pro præmio æterno. Ita quidem Paulus Stadiodromorum Princeps.

Stadium est vita præsens: stadium est uniuscujusque status, maxime tamen status Doctoris, & ejus, qui habet evangelizandi munus, Stadiodromus est Doctor quilibet sanæ doctrinæ. Hic pro fide, pro pietate & bonis moribus cursus & certamen obeundum est. In agone Antagonistæ superandi sunt. In hunc finem, pergit Paulus, *omnis ... qui in agone contendit, ab omnibus in agone impredientibus se abstinere; & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam gloriæ æternæ.* Spem efficacem gloriæ hujus hic proponit Apostolus, tanquam motivum absolute efficacem, ut scandala caveamus, cæteraque peccata.

A longè Stadiodromorum Principem Paulum secutus est Magister noster A. R. P. Joannes Bosco, Auctor operis hujus. Cucurrit in stadio studii Theologici, tam docendo, quam scribendo libros, annis circiter quinquaginta: & quidem in Academia Lovaniensî cucurrit, ut jure merito Theologus Lovaniensîs nominandus sit. Ante viginti

annos studia sua publicæ utilitati communicare cœpit evulgandoli-  
bros, quos, uti studia sua omnia, soli DEO dedicavit & consecravit:  
dubia plurima resolvit; vel potius resolutiones S Augustini, Scoti  
& aliorum Doctorum Catholicorum nobis ob oculos posuit. Quæris,  
quid hi sentiant de voluntate DEI salvandi omnes, gratia sufficiente  
in statu naturæ lapsæ, gratia efficaci, libertate tam morali, quàm es-  
sentiali, possibilitate mandatorum, ignorantia, probabilitate, concu-  
piscencia, obligatione omnia in Deum ex charitate referendi & simi-  
lia, abundè reperies.

Opus hoc, Theologiæ suæ Sacramentali succedens, Theologiam  
Spiritualem inscripsit, eò quòd de DEO, qui totus Spiritus est, de-  
que potentiis spiritualibus DEI, intellectu nempe & voluntate di-  
sputer Tomo primo: de operationibus verò spiritualibus Dei, Provi-  
dentia, Prædestinatione, Reprobatione, Fidei divinæ infusione, cujus  
radix Prædestinatio est, Tomo secundo. Hæc disputans & elucidans  
ad alia sæpè amenè digreditur. Reperit quoque eadem aliquandò,  
sed doctus vulgato adagio: *Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis di-  
scitur.* Vnde Prosper in Epist. ad Aug. rogabat eum, ut denuò contra  
Semi-pelagianos scriberet, dicens: *Necessarium & utile est, etiam, quæ  
scripta sunt, scribere, ne leve existimetur, quod non frequenter arguitur.* Et  
Augustinus morem gerens Prospero & Hilario, ita incipit l. de Præ-  
dest. SS. *Discisse quidem Apostolum scimus in epistola ad Philippenses; eadem  
scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum est.* Difficultates  
etiam explicabiles hinc inde vidit: attamen iis non cessit, nec ob eas  
à regia & trita via recessit, nostro exemplo. Probè noverat sub mate-  
riis fidei latere varia mysteria, quæ ad regulas metaphysicas scrutari  
non licet. Frigidum illud: *Quomodò*, in iis relegandum. Ita qui-  
dem fecit Auctor noster, qui & uti in agone contententes, ab omni-  
bus se abstinuit, uni incumbens **STUDIO ET PIETATI**: utrique  
immoriens, dicere potuit cum Apost. 2. ad Tim. 4. *Bonum certamen  
certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona  
justitiæ: quam ut in æternitate beata possideat, ei benè precare* **LEC-  
TOR, & Vale.**

INDEX